

CAPUT I.

De

Subjectionis Filii Termino.

§. I.



Filium DEI, Patri suo in regno gloriæ subjectum, prævio oraculo Paulino, consideraturi, necessarium omnino ducimus, ut, melioris perspicuitatis gratia, duo prius, quæ instituto nostro haud importunè inservire videntur, quasi in antecessum expediamus, nimirum ut primo loco Textûs *συνάφειαν*, ejusque cum antecedentibus connexionem tradamus, dein, ut varias Subjectionis acceptiones consideremus, quibus expositis, feliciter nobis in sequentibus progredi licebit. A Textûs itaque connexionem ut ordiamur, vindicat Apostolus toto hoc XV. Capite prioris Epistolæ ad Corinthios Articulum fidei maxime fundamentalem, de Resurrectione Mortuorum, contra Pseudo-Apostolos, qui illum impugnabant & negabant, tres potissimum de hac resurrectione quæstiones explicans, quarum PRIMA est: *An sit Resurrectio Mortuorum?* à v. 1. ad 35. ALTERA, *Quali corpore mortui resurrecturi sint?* à v. 35. usque ad 51. TERTIA, *Quid futurum sit iis, quos dies Domini vivos deprehendet?* à v. 51. ad v. ult. ubi doctrinam hanc exhortatione inde deductâ concludit. Cum verò ad primam quæstionem præsens, quod explicandum summus, dictum pertineat, de illa præsertim solliciti erimus; in hac enim confirmandâ, certitudinem ac veritatem resurrectionis mortuorum

A 2

strenuè